

THESEM MEDICAM
SUB HAC VERBORUM SERIE

Aër carbone lapideo fumoſus Appoplexiæ obnoxiis convenit.

AVSPICIIS

PERILLVSTRIS ET REVERENDISSIMI DOMINI


D. JOSEPHI FRANCISCI DE GENET

Eccleſiæ Cathedralis Vaſionenſis Archidiaconi,
Vniverſitaris Avenionenſis Primicerii,
Rectoris, Iudicis, & Privilegiorum Conſervatoris.

Præſide Nob. Viro D. D. ALEXANDRO DE SERREPVY Profeſſore Primario & Botanico.

Deo Duce & Auſpice Dei-Parâ tueri conabitur Nob. D. NICOLAUS FORAY Sanſtephanenſis apud Seguſianos Diœceſis Lugdunenſis, Artium Liberalium Magiſter, & jamdudum Medicinæ Studioſus.

PRO BACCALAVREATU



I.

QUISQUE ſuos patitur manes, omneſque inter anguſtias morborum vitam infelicem traducere cogimur: inter morbos magis communes magiſque periculoſos, qui hominibus certo quodam temperamento præditis, ſubitaneam & improviſam mortem quotidie minitantur. Primas tenet appoplexia, quæ eſt ſomnus profundiſſimus cum ſubitaneâ privatione ſensûs & motûs voluntarii aut ſaltem inſigni imminutione, manente reſpiratione arctâ tamen & difficili, cum membrorum reſolutione.

II.

APpoplexia alia cauſam antecedentem agnoſcit ſanguinem craſſum & viſcidum, alia oritur à ſanguinis copiâ, alia ab eodem rarefacto & regurgitante propter iram aut violentum aliud animi pathematum, vasâ diſtendente, tubos ſpirituum excretorios, nervoſque comprimente; Nos veró hîc ſolùm agemus de appoplexiâ quæ excitatur à ſanguine craſſo & viſcido qui propter motus ſui lentorem & conſiſtentiæ viſciditatem paucos ſpiritus ad functiones animales ritè rectéque obeundas cerebro ſuppeditat, & propter diuturniorem in cerebro moram & reſtagnationem cerebrum ipſum obruit ſeroſitates remittit, nervorum originem comprimit, ideoque ſpiritibus aditum denegat, ob illam ſupradictam ſeroſitatem, nervorum tonus laxatur concidunt glandulæ, totum cerebrum flacceſcit; canaliculi glandularum excretorii compreſſi ſpiritus philtrari non ſinunt: Præterea in caſu de quo loquimur materia ſpirituum craſſior & viſcidior eſt quàm in ſtatu naturali, nec illâ diſpoſitione ad ſpiritus efformandos requiſitâ pollet; ideò arteriarum exiles canaliculos & glandularum meatus ſubire non poterit, ſic ſequenti viam occludet, unde alia reſtagnatio ſanguinis, ſeroſitatum nova extravaſatio unde tot horrenda ſymptomata.

III.

CArbo lapideus ex ſubterraneis fodinis quibuſdam in Provinciis Angliæ & Galliæ ut in Seguſiano apud Sanſtephanenſes extrahitur; hic carbo multo ſale acido volatili ſulphure, aquâ & terrâ conſtat in cujus cineres ſi immittas tum alcalinos tum acidos liquores nullus motus excitabitur propter exhalationem omnium ferè ſalium fumus hujus carbonis aërem ideo craſſum efficit (quia in Sanſtephanenſium oppido ad omnes tum coquineæ, tum fornacium uſus reponitur) ut nubes fumoſa ſupra hanc urbem nigricantem ſemper volitare appareat: quod aërem iſtum fumoſum ſalis volatilis cauſa aſthematicis multis non parùm proficere obſervaverimus humores craſſos & viſcidos qui brunchias pulmonum infarciunt dividendo, divellendo ipſorumque evacuationem promovendo, eventurum judicamus quod in illis qui appoplexiæ obnoxii ſunt ob viſcidam ſanguinis diathesim aër iſte per pulmones in ſanguinem intromiſſus volatilitate partium ſuarum motum humoribus addet, pituitam craſſam dividet & attenuabit craſſos ſulphurum floccos ſemovebit & divellet: ſic ſpirituum quantitatem adaugebit motum ſanguinis accelerabit: & ideo prohibebitur humorum reſtagnatio, ſeroſitatumque extillatio in cerebro, quia illæ cum aliis maſſæ ſanguineæ maleculis miſcebuntur & perfecté convolventur ſic materia ſpirituum bene diſpoſita inſufficienti quantitate ſuppeditabitur, unde copioſo eorum influxu nec flacceſſet nec ſubſidebit cerebri compages nec nervi naturalem tentionem amittent, ſed omnia tum fluida, tum ſolida tono ſuo requiſito pollebunt, ergo jurè concludo.

Aërem carbone lapideo fumoſum Appoplexiæ obnoxiis convenire.



Agitabuntur in Aulâ Vniverſitatis Die Martii 1712 hora 2ª poſt meridiem.

AVENIONE apud FRANCISCUM MALLARD Bibliop. & Typog. Illuſt. & Excel. Prolegati, Illuſt. & Excel. Archiepiſcopi, & Univerſit. 1712